



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Multiplici industria pietatem excolit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Multiplicis
industria
pietatem
excolit.*

Ergo docere exorsus, vt qui non suæ venabatur incrementa celebritatis, sed id modò agebat, vt auditoribus Christum per doctrinam infereret, multa ad eam rem adiumenta excogitauit. Principio præter ordinarias in Theologia scholas, quotidie priuatas alias instituit domesticos intra parietes; vt ex occasione commodius, ac familiarius auditores in pietate institueret; & ad frequentem exomologeseos, ac synaxeos vsu alliceret. Deinde ad publicos, priuatosq; scholæ labores, latinas homilias adiecit diebus sacris ad studiosam literarum iuuentutem. Quin etiam paulò post morem, qui vigeat Coloniae introduxit, vt ipsimet iuuenes de virtute quapiam declamarent. Quæ exercitatio & ipsis dicentibus instillaret sensim eiusdem virtutis amorem, & Canisio locum præberet opportuna iis monita suggerendi. Super hæc, quoniam vera caritas nihil non, Deo nixa, confidit, & experitur, in Magno ieiunio germanice quoque cœpit ad populum verba facere. Nec postea conciones has, quãdiu Ingolstadij mansit, vllò vnquam tempore intermisit. Ad eas verò tanti fiebant concursus, vt in templum fuerint multo capacius transferenda:

*Germanice
simul con-
cionatur.*